

Clarissime Domine. Iacturam, quam mihi attulerat incuria famuli tui, compensavit cum fœnore diligentia episcopi tui. Is enim cum ante aliquot menses ad Urbem venisset, non solum pro nostra veteri consuetudine me salutavit; sed etiam libellum carminum tuorum, et alterum quemdam de flore, et fructu inscriptum mihi dono dedit. Itaque antequam libellum tuum dono tuo accepissem, legeram votum Deiparae Virginis ad aedem Lauretanam; legeram Seraphides bonam partem; legeram triumphum Seraphicum: caetera degustare omnino probaveram; et ipse etiam Geraldus, quem tu non magnificacere videris, mihi non spernendus visus est. Non licuit autem omnia perlegere, quia tantis, et tam assiduis graviorum negotiorum curis hic in Urbe premimur, ut raro deliciis istis humaniorum litterarum nobis frui detur. Legeram multò antea cum admiratione, et voluptate epistolas tuas; ex quibus omnibus facilè intellexi, tibi non esse dolendum, quòd lumine illo careas, quòd nobis est commune cum muscis, ut de Didymo S. Antonium dicere solitum scribit Athanasius: cum lumine ingenii ita excellas, ut latinis litteris magnum lumen attuleris. Quamvis autem liber piorum carminum à te missus mihi parum necessarius fuerit, quippe qui alterum iam habebam: opportunè tamen allatus est, ut eum Angelo nostro cum epistola tua Salernum mitterem: quem enim te ad illum mittere scribis, is non minus corruptus, et laceratus huc pervenit, quam ad te Angeli ipsius litterae venerint; ergo ne videreris de industria par pari referre voluisse, ego librum integrum nomine tuo ad illum misi. Vale. Romae, Pridie Natalitiorum Domini, quem diem tibi felicissimum precor

---

Epistolarum M. Antonii Bonciarii libri XII. Perusiae 1614. lib. VIII

epist. 4 p. 438-439. Epist. famil. CXXXIX, nombreuses variant.